



Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 4. Formula, qua datur facultas Confessariis absolve[n]di Percussore[m],
aut Occisore[m] Clerici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

Heredibus præfati Clerici. Similiter G
fit Presbytericida dicitur: Heredibus
præfati Sacerdotis. Et additur: Ac Ec-
clesiæ, in qua dictus Sacerdos forsam
intitulatus erat, vel pro illa Ordinario
loci, si nondum satisfecit, quantum
per se steterit satisfaciat competenter.

5. Ordinarii possunt & tenentur re-
 movere Cedulones affixos postquam
 Pœnitentes supradictis modis absoluti
 sunt. Quod si præstare aliquid tenean-
 tur pro Juribus Cancellariæ, cogi ad hoc
 poterunt per incarcerationem, non ve-
 ro per novam declarationem in excom-
 municationem, quæ non est imposta à
 jure pro Juribus Cancellariæ.

S. 4.

Formula, qua datur facultas Confessa-
riis absolvendi Percussorem, aut
occisorem Clerici.

1. In casibus occultis hac formula da-
 tur à S. Pœnitentiaria Confessariis pote-
 stas absolvendi percussores, mutilato-
 res, aut occisores Clericorum, Sacerdo-
 tum, aut Religiosorum.

Leander &c. Discreto Viro Confessori &c.
 Pro parte Viri Latoris præsentium Nobis oblati
 peti

petitio continebat, quod ipse alias manus violentas in quendam Clericum iniecit, propter quod Lator excommunicationem incurrit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat dictus Lator de præmissis, quæ occulta sunt, seu ad forum Ordinarii minimè deducta fuerunt, plurimum doleat; Ideo pro suæ conscientia quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi. Quare &c. Nos &c. Discretionis tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, postquam prædicto Clerico, si nondum satisfecerit, satisfecerit, vel per eum non steterit, quo minus arbitrio tuo satisfaciat competenter, caute tamen, ne se prodit, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomodolibet incurrit, absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, in foro conscientia, & in ipso actu Confessionis Sacramentalis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. Ita quod, si præmissa ad forum Ordinarii devenire contigerit, & Lator sententiæ, seu ordinationi præfati Ordinarii parere contempserit, in dictam excommunicationem relabatur eo ipso. Datum &c.

2. Hic nonnulla sunt advertenda, Primo: Eadem in foro secreto observanda esse, quæ servanda præscribuntur.

tur.

tur §. 2. Ordinariis in foro fori, habita solum differentia publici & occulti.

3. Deinde examinare debet Confessarius, an delictum sit occultum, si enim sit publicum, gratia est nulla.

4. Ob clausulam: *Cautè tamen ne se prodat*, magna cautela & prudentia uti debet Confessarius, ne resarciendo damnum parti læsæ delictum Pœnitentis detegatur. Quod si tunc Pœnitens non possit satisfacere, exigendum est ab eo iuramentum de satisfaciendo, cum primum potuerit, eumque absolvet protestando, quod si satisfacere contempnat, reincidat in excommunicationem.

5. Confessarius attestari poterit in scriptis se pœnitentem absolvisse cum obligatione parendi sententiæ Ordinarii sub pœna relapsus in excommunicationem casu, quo delictum aliquando fiat publicum.

6. Presbytericida absolvetur cum onere faciendi publicam pœnitentiam, de qua supra, si delictum detegatur, quod promittet sub iuramento.